



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 132. Quid notandum sit circa impossibilitatem & vacationem prioris Beneficii propter aliud cum illo obtentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

§. III. Si possessor litigans moriatur, beneficium 894  
 censeatur vacare per mortem, quia possessor præsumitur dominus, *Clement. I. Ut lite pendente, L. 2. Cod. de probationibus, Simon. Gonz. Leuv. q. 28.* E contra si quis jure vel sententiâ privatus moriatur ante dimissam possessionem, non vacat morte, sed per aliam causam, ob quam privatus est, *Barb. Leuv. q. 30.*

§. IV. Si resignans moriatur intra 20. dies, videtur 895  
 probabilius, quod beneficium vacet per obitum, *Put. Rebuff. Tond. Paris. contra Luca & alios: idem est, si moriatur ante admittam resignationem, aut si in favorem sit facta, ante acceptatam à tertio resignationem ejusque conditiones impletas, Paris. Leuv. q. 33.* An & quomodo probanda sit mors aut tempus mortis, videri potest *Leuren. q. 34. & 35.* De potestate & jure Capituli Sede vacante, videri potest specialis tractatus apud *Leuv.* sub titulo, de Vicario Episcopi.

Q. 132. Quid notandum sit circa incompatibilitatem, & vacationem prioris beneficii propter aliud cum illo obtentum. R. Seqq. 896

§. I. Beneficia tum dicuntur incompatibilia, si ab uno simul haberi non possint: suntque incompatibilia, vel simpliciter, si unum ipso jure excludat alterum; vel secundum quid, si possint quidem haberi simul, sed non licite, ideoque possidens, si non dispensetur, possit per Superiorem privari, *Leuv. p. 3. q. 61.*

§. II. Nisi excusent justæ causæ vel circumstantiæ, est contra jus naturæ & indispensabile, ut quis 897  
 plura simul beneficia habeat, *S. Thom. Caj. Host. Ansb. Silv. Arm. Tab. Vasq. Sanctb. T. Hurt. Less. P. Marchant. Diana p. 10. t. 13. R. 1. Leuv. q. 62.* & Theologi ferè omnes. Patet, quia inordinatum est

est imò & scandalosum sic minui cultum divinum per exclusionem plurium personarum, quæ plures legerent Missas vel Horas Canonicas, aut assisterent choro; item Ecclesiam privari pluribus Ministris, ab uno occupari plurium officia, alios dignos & sæpe indigos excludi beneficiis, everti intentionem fundatorum, qui quia voluerunt esse plures in Ecclesia Ministros, plura fundarunt beneficia &c. Idem prohibetur per Canones, maximè in odium avaritiæ & ambitionis, Cap. *Singula*, dist. 89., Cap. *Episcopi*, dist. 80., *Trid. Sess. 24. c. 17. de Ref.*, Extrav. *Execrabilis*, de præb. Vide *Azor. p. 2. l. 6. c. 10. & seqq. item l. 7. c. 3. q. 1.*

898 §. III. Beneficium simplex non requirens residentiam, nec sufficiens ad honestam sustentationem est compatibile cum alio superveniente etiam sufficiente, sic enim habet *Trid. supra: unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; & quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nibi omnino aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre.* Unde per obtentionem hujus sufficientis non vacabit insufficientis, uti ex verbis *Trid.* probabiliùs colligunt *Fagn. Castrop. Pirb. contra Garc.* Idem dicit *Less.*, etiamsi primum insufficientis esset Cathedrale vel parochiale vel dignitas. Vide *Leur. q. 64.*

899 §. IV. Verior & communior sententia est, inquit *Pirb. l. 3. t. 5. n. 139.*, quòd habens beneficium insufficientis, si accipiat aliud sufficiens, teneatur primum insufficientis dimittere, tum quia aliàs tollit sibi stipendia plurium & minuit cultum Dei, tum etiam quia si primum fuisset sufficiens, non posset cum illo admittere aliud insufficientis, ergo à pari hìc, nam est eadem ratio, nempe quia unum sufficit ad sustentationem

tationem. Oppositum tenent *Inn. & Rebuff.*, dicens hanc sententiam consuetudine invaluisse, eamque sciri à Papa & tolerari: Videtur consentire *Castrop.* t. 13. d. 6. p. 4. n. 13. fundans se in citatis verbis *Trid.*, cum enim dicat posse aliud simplex sufficiens conferri, dommodo utrumque residentiam non requirat, videtur satis aperte innuere, quod possit retinere utrumque, si ratione residentia se compatiantur. Quamvis autem *Trid.* tantum dicat aliud simplex, tamen eadem est ratio de Curato, saltem illo, quod habitualiter tantum est tale, nam hoc non requirit residentiam, & quoad compatibilitatem habet se sicuti simplex, uti rectè *Barb.* de off. Parochi c. 2. n. 50. Quod si secundum beneficium sit actualiter curatum, adhuc dici posset non obstare, dummodo primum non requirat residentiam, nam tunc verum est, quod utrumque non requirat residentiam, non enim obstat, quamvis unum requirat, uti ex declaratione Cardinalium habet *Galle.* in *Trid.* supra n. 3., & assentitur *Pirh.* à n. 135.

§. V. Si tam primum quam secundum seorsim 900  
sit insufficientis, potest utrumque retineri, uti colligitur ex dictis, & probat praxis tolerata post *Trid.*, *Diana*, p. 10. T. 13. R. 1. Etiam Decanatus cum Canonatu in alia Ecclesia, *Less.* in auct. v. *Beneficium*, cas. 15. Si tamen secundum beneficium insufficientis obtineatur à Papa, debet fieri mentio prioris etiam insufficientis, alioquin obtentio est subreptitia, c. *Si motu proprio*, de præb. in 6. *Arz. Pirh. Leur.* q. 86.

§. VI. Multæ sunt declarationes Cardinalium, 901  
docentque *Abb. Nav. Garc. Pirh.* nunc non licere habere simul plura quam duo etiam insufficientia beneficia, quia *Trid.* dicit in singulari, liceat illi aliud conferre: E contra posse plura eidem conferri

usque ad sufficientiam, probabiliter docent *Hojeday Paris. Quintanad. Zerol. Zech.*, dummodo non nimis multa, v.g. 8. aut concumulentur; & consentit *Az.*, ubi talis est consuetudo, fateturque *Garc. Rotam* ita sensisse, & talem esse stylum Curiae testatur *Hoj.*, æquum enim est cuivis Clerico ab Ecclesia assignari sufficientem sustentationem. Vide *Leur.* q. 65.

902 §. VII. Si præhabitu sufficienti ad sustentationem, non videtur esse licitum admittere secundum, etiam insufficientem, animo simul retinendi, etiam si utrumque esset simplex & neutrum residentiæ, *Gl. Abb. Hoj. Nav. Az. Laym. Zerol. Rodrig. Zech. Garc. Paris. Castrop. Pirb. Leur.* q. 66. contra *Inn. Gl. aliam, Cardin. Ferret. Rebuff. Tusch. Ledes. Valent.* & alios apud *Garc.* p. II. c. 5 à n. 264. Ratio colligitur ex dictis n. 897. Putant quidem *Hurtado* & alii jam citati in contrarium hoc non esse jure naturæ illicitum, ideoque posse dispensari vel per consuetudinem præscribi, sed tenendum est oppositum, nisi justa causa vel circumstantia evacuet turpitudinem, faciatque talem combinationem non contineri sub prohibitione juris naturalis secundum dicta n. 897., & ita docent *Abb. Hoj. Az. Castrop.*, uterque *Paris. Socin. Menoch. Lop. Garc. Pirb. Leur.* q. 67. Omnes autem, etiam ipse *Hurtado* fatetur nimiam cumulationem beneficiorum in una persona, saltem si sit ultra necessitatem sustentationis, esse jure naturæ illicitam, ac proficisci ex avaritia, ambitione aut cupiditate lautius vivendi; censendum est autem esse nimiam cumulationem, si idem beneficiatus ex singulis beneficiis habeat proventus sufficientes ad sustentationem multarum ejusmodi personarum, qualis ipse est. Vide *Leur.* q. 68. Et quæ dicta sunt de pluribus beneficiis,

beneficiis, dicunt *Hoj. Vasq. Az. Hurt.* etiam de pluribus pensionibus Clericalibus. Vide *Leur. q. 70.*

§. VIII. Etiam illa beneficia sunt incompatibilia, quæ de se singula sufficiunt ad sustentationem, licet ex uno nihil percipias, quia nempe non resides, tunc enim per te stat, quod tibi non fructificet, *Leur. q. 110. n. 2.* 903

§. IX. Quantum ad sustentationem decentem cuique necessarium sit, ex personarum qualitate & locorum diversitate unusquisque sibi iudex erit, advertens quod Deum fallere non possit, inquit *Gonz. Gl. 15. n. 39.* Spectantur autem hæc, si quis sit nobilis vel illustris, si eximie literatus, si infirmæ valetudinis, si in Ecclesia multa merita contulerit, si sit beneficiatus in Ecclesia celebri, insigni, illustri, in oppido vel in urbe, si habeat Vicariam, Canonatum vel Dignitatem, si in eo loco sit major vel minor caritas annonæ, si similes beneficiati pro more patriæ, Capituli vel etiam familiæ hoc vel illo modo se gerant. Victus autem nomine veniunt omnia necessaria ad se & familiam sustentandam, uti sunt cibus, potus, vestitus, habitatio, medicinæ, hospitalitas, eleemosynæ, ordinaria donaria, honestæ recreationes; & ad familiam censentur spectare famuli & ancillæ; Item, si indigeant, parentes, fratres, sorores, nepotes, consanguinei, filii, si quos habet: Item equi & apparatus, uti habent similes beneficiati timorati &c. *Az. Castrop. Leur. q. 71.*; putatque *Nav.* apud *Paris. l. 5. q. 6. n. 147.* Baroni beneficiato competere 4. famulos & coquum. Nec opus est hic haberi rationem bonorum patrimonialium, *S. Th. Inn. Abb. Caj. Sot. Nav. Sarm. Hurt. Paris. n. 154.*, quia hæc se per accidens habent. *Nec obstat*, quod *SS. Hier. August. & Propper* relati *Cap. sicut, 4. l. q. 2.*, quos sequuntur *Hoj. Barb. Dec.*, dicant

Clericum potentem ex patrimonio vivere teneri, quod ex beneficio provenit, dare pauperibus, nam *S. Tb. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. Caj. Hurt. & alii dicunt illos loqui in casu gravis necessitatis proximi, nam S. August. expressè dicit, in articulo necessitatis fructus beneficii non sunt bona nostra. Vide Leuv. q. 72. & quæ habet Busenb. referendus n. 1355. Notandum tamen, quod ait Diana supra, in facti contingencia (circa admissionem plurium beneficiorum) ubi materia est tam periculosa & lubrica, videat unusquisque, quid faciat, & viros doctos ac timoratos consulat; nec dicat, ille vel ille hoc facit, ergo licitum erit facere, id enim absonè inferitur.*

905 §. X. Si fundator voluerit hoc beneficium à se fundatum obtineri posse simul cum alio vel aliis, id permittunt jura, quamvis aliàs jure positivo essent incompatibilia, quia potuit donare bona sua sub conditione etiam juri communi contraria, secundùm dicta n. 808., *Lott. l. 1. q. 32. n. 43.*: De cætero causæ dispensandi ad simul acquirenda vel retinenda plura beneficia, sunt, vel necessitas Clerici, si unum ei non sufficiat ad sustentationem, secundùm antè dicta, vel utilitas Ecclesiæ, ob quam plura conferri possunt Nobilibus, literatis, potentibus, bene meritis vel merituris de Ecclesia &c. Vide *Dianam supra & Leuv. q. 74. & 75.* Præterea *Fill. Lugo, Hurt.* putant sufficientem esse causam dispensandi ad obtinenda aut saltem ad retinenda plura beneficia, uti vult *Nav.*, si possessor sit impensurus fructus in pios usus, sed meritò contradicunt *Az. & alii cum Leuv. q. 76.*, quia optimus usus est, si fructus cum titulo relinquuntur alteri Clerico, ut se alat, & in similes usus impendat, quod superfluet: Si tamen quis habeat parentes, fratres, nepotes ex fratre vel sorore indigentes, hanc esse causam dispensandi dicunt *Nav.*

*Az. Castrop. Leur. q. 77. contra Bejam. p. 1. cas. 59.*  
 Et non ideo teneri dimittere beneficia propterea ob-  
 tenta, quamvis cesset indigentia, docent *Caj. Hurt.*  
*Leur. q. 80.*, dummodo fructus superfluos impen-  
 dat piis causis. Addit *Hurt.* causam sufficientem ef-  
 se, si habeat amicum indigentem, cui multum de-  
 beat. Notant autem *Præpos. Felin. Hurt.* apud *Leur.*  
*q. 78.* ipsammet liberalitatem, quæ principem de-  
 cet, esse in Papa sufficientem causam dispensandi.  
 Denique satis certum est justam causam retinendi  
 ejusmodi duo beneficia, per se loquendo, non esse,  
 v. g. ut in hac vel illa electione possim favorem præ-  
 stare amico, ipsemet eligi ad certam dignitatem, im-  
 pedire hanc vel illam familiam aut factionem, ne  
 votis prævaleat &c.

§. XI. In dubio, an adsint causæ vel circumstan- 906  
 tiæ, quæ evacuent turpitudinem cumulationis plu-  
 rium beneficiorum, Papæ est id declarare atque ita  
 dispensare, *Leur. q. 73. n. 2.* Si autem dubium oria-  
 tur circa valorem dispensationis Papalis, de hoc  
 etiam debet cognoscere Papa ipse & non Ordinarius,  
 Cap. *Ordinarii*, de off. Ordin. in 6. *Laym. Leur. q.*  
*90.* Quod si satis constet dispensationem à Papa esse  
 factam sine ulla causa, videtur non juvare pro foro  
 conscientiæ, quamvis alii oppositum teneant, *Leur.*  
*q. 81. & 82.* Si tamen Papa habenti beneficium unum  
 conferat aliud motu proprio & ex certa scientia,  
 præsumi potest habuisse causam justam. Vide  
*Leur. q. 83.*

§. XII. Jam amplius non possunt Episcopi aut 907  
 Nuntii Apostolici dispensare in eo, ut quis obtineat  
 vel retineat simul plura beneficia incompatibilia,  
 quia posteriores Canones & *Trid.* aliter fieri jubent,  
 & inferior non potest dispensare in lege Superioris,  
*Abb. Az. Less. Castrop. Garc. Hurt. Pirh. Leur. q.*  
 79.



79. contra *Sely. Rebuff. Gamb. Hoj.* & alios putantes id posse propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ; ob quam putant etiam *Abb. Barb. & Pirb. l. 3. c. 5. n. 150.* posse Episcopum dispensare, ut idem habeat unum beneficium actu & alterum habitu curatum. Vide *Castrop. t. 13. d. 6. p. 4. n. 28.*, & dicenda n. 920.

908 §. XIII. Quamvis aliquis petens à Papa novum beneficium narrarit se habere alia beneficia, non ideo dispensatur ad hæc cum novo retinenda, si priora sufficiebant ad sustentationem, *Cap. Non potest, de præb. in 6. Nav. Mohed. Bartol. Ferrett. Rodrig. Gonz. Castrop. Leur. q. 84.* Si autem petierit dispensationem ad plura & reticuerit modicum beneficium, quod etiam habebat, dispensatio est nulla, quia talis expressio est de forma, *Cap. Non potest, ibid., Covarr. Laym. Pirb.* Quod verum est, etiam si illud primum injustè possedisset, *Gl. Pirb.* Idem est, si reticuerit esse curatum, *Clement. 1. de præb.* Item si non meminerit pensionis datæ in titulum perpetuum, *Gonz. Garc. Chok. Pirb.* Item si non expresserit valorem beneficii impetrandi. Vide dicta n. 634. 642. 643. Debetque Papa hic dispensans derogare decreto *Trid.* saltem generaliter, *Gonz.* Vide *Leur. q. 37. 89. 191. 192.*

909 §. XIV. Non ideo censetur dispensare Papa, quòd sciat aliquem habere plura & toleret, *Cum multa per patientiam tolerantur, quæ si in iudicium deducta fuerint, exigente justitiâ non debeant tolerari, Cap. Cum jam dudum, de Præb. Pirb. Leur. q. 85.* Hinc ex aliis circumstantiis colligendum est, an Papa id approbet necne, quandoque enim expectat, ut ad se deferatur factum, aut non improbat positivè, ne gravius malum accersat.

910 §. XV. *Garc. & alii* putant, si quis habens beneficium

beneficium sufficiens admittat aliud sufficiens, aut etiam insufficientem sine dispensatione, hoc ipso vacare primum, & hoc videtur colligi ex textu *Trid.* relato hic n. 898., sed *Abb. Nav. Gonz. Castrop. Pirh. Leur.* q. 91. dicunt neutrum actu vacare; valet enim collatio secundi, uti fatetur *Garc.*, & docent *Castrop. Lott. Luca, Leur.* q. 92. & 108., ideoque videtur relinqui libertati ipsius, ut retineat, quod vollet, poena enim illa privationis ipso jure & facto nullibi clarè statuitur: si tamen neutrum dimittat, *Nav. Gutt. Put. Gonz.* apud *Leur.* q. 91. dicunt privari posse per Ordinarium. Quod si tamen pro acquirendo primo necessarias expensas fecit ex bonis suis, cogi non potest, ut illud dimittat ante restitutas expensas, nisi appareret, quod eas fecisset pure in favorem Ecclesiae sine animo eas repetendi, *Laym. Pirh.* l. 3. t. 5. n. 159. Si autem fundatio vel statutum habeat, ut obtinens tale beneficium non possit simul habere aliud, putant *Az. & Lott.* apud *Leur.* q. 93. primum jure ipso vacare per obtentionem secundi, quia per admissionem hujus videtur se reddere incapacem illius.

§. XVI. Putat idem *Garc.* p. II. c. 5. n. 310. ex 911' declaratione S. Congreg., si Ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo insufficientia, vacare illa duo prima, si illud tertium sit per se sufficiens; si autem non sit sufficiens, debere unum ex praehabitis dimitti, alioqui ambo vacatura; sed alii in hoc ultimo contradicunt, nam secundum dicta n. 901. probabile est posse eidem plura insufficientia conferri usque ad congruam sustentationem.

§. XVII Si ex dispensatione habenti plura beneficia conferatur adhuc aliud incompatibile, *Az.* 912' *Garc. Pirh.* docent ex *Clement. Si plures*, de praeb., eo ipso vacare omnia priora, etiamsi collatio ultimae esset invalida; Vide *Leur.* q. 95.

§. XVIII.

913

§. XVIII. Vacatio, de qua haftenus, non inducitur præcisè per collationem etiam acceptatam, sed prærequirit adeptam possessionem pacificam posterioris beneficii, Cap. *Licet Episcopus*, de præb. in 6., Extrav. *Execrabilis*, Az. *Paris. Castrop. Corras. Garc.*, nisi per provisum stet, quominus possessionem posterioris adipiscatur, *Garc. Castrop. Lott. Leur.* q. 97. Quòd si possessio posterioris sit pacifica, sed oriatur lis de illius titulo, vacatio prioris non inducitur, ne, si lite cadat, omni beneficio careat, *Luca & alii cum Leur.* q. 98. contra *Inn. Tuschi & alios*. Si verò quis obtento titulo unius beneficii, absque illius possessione, obtineat secundum beneficium litigiosum, & priusquam efficiatur pacificus possessor hujus secundi, accipiat pacificam possessionem prioris, non ideo vacabit illud secundum litigiosum, cum id nullibi statutum sit, *Nav. Less. Garc. Pirh. Leur.* q. 99.

914

§. XIX. Quandonam possessio censeatur pacifica, dictum est à n. 526. Putant autem *Bonif. & Mascard.* ut beneficium posterius censeatur pacificè possessum, & consequenter ut prius beneficium vacet, debere effluere annum, intra quem non moveatur lis super titulo vel possessione, quod *Tond.* dicit servari in Gallia; sed si hoc verum esset, Ordinarius Collator teneretur integrum annum expectare pro collatione beneficii vacantis per affecutionem alterius, quod est contra praxin: itaque satis est interfluere duos menses, *Lap. Garc. Quintanadi. Castrop. Lott. Leur.* q. 100. & 107. n. 2. Et si lis non moveatur, *Garc.* putat beneficium prius censeari vacasse initio, è contrà *Rebuff.* dicit censeari primò vacasse in fine illorum duorum mensium. Videri possunt *Castrop.* p. 3. §. 6. n. 21. & *Luca* de benef. d. 54. n. 5.

§. XX.

§. XX. Ut inducatur vacatio prioris beneficii, 915  
 debet possessio posterioris etiam esse fructuosa, saltem  
 ex majori parte fructuum, aliàs non censetur plenè  
 possideri, *Cap. si tibi concesso*, de præb. in 6., *Abb.*  
*Rebuff. Az. Garc. Coras. Castrop. Leur. q. 101.* Cen-  
 setur autem ei fructuosa, si ejus hæredibus post mor-  
 tem obveniant fructus, secundùm dicta n. 673., do-  
 centque *Castrop. Garc. Leur. q. 102.*; aliud autem  
 est, si applicentur fabricæ, mensæ Episcopali, aut  
 inter reliquos dividantur, & id impedire non possit  
 beneficiatus, beneficium enim tum non potest esse  
 ipsi fructuosum, *Garc. Castrop. Leur. q. 104.*

§. XXI. Si solùm viâ facti injustè, attamen sci- 916  
 enter obtineas & pacificè possideas secundum bene-  
 ficium, vacat primum in pœnam delicti, talis enim  
 mala possessio habetur pro bona in odium capientis,  
*Az. Garc. Castrop. Lott.* Idem est, si beneficium, ad  
 quod jus habes, per vim aut propriâ auctoritate oc-  
 cupes, *Cap. Eum qui*, de præb. in 6. *Pirb. Leur. q. 105.*

§. XXII. Ut inducatur vacatio præhabiti, de- 917  
 bet utrumque beneficium esse collatum in perpetu-  
 um, sive in titulum sive in commendam: & ita be-  
 neficium manuale inducet vacationem, si confera-  
 tur in perpetuum, *Abb. Garc. Pirb. Leur. q. 106.*

§. XXIII. Beneficia etiam insufficientia sunt in- 918  
 compatiblea, si ambo requirant residentiam perso-  
 nalem incompatibleem, hanc autem secundùm  
*Trid. Ses. 24. c. 12. de Ref.* requirunt Canonicatus  
 & portiones in Cathedralibus & Collegiatis, nisi  
 aliud habeat consuetudo: reliqua præsumuntur  
 eam non requirere, *Imol. Rebuff. Felin. Gonzal.*  
 Et sola residentia perpetua & præcisa inducit incom-  
 patibilitatem, non autem residentia ad tempus, si-  
 mul permittens residentiam pro altero beneficio:  
*Pirb. Leur. q. 110. n. 2.* Nec inducit residentia tan-  
 rum

tum causativa, *Nav. Anch. Tond. Imol. Buty.*  
 Quænam autem residentia dicatur præcisa & causa-  
 tiva, dictum est n. 864.

919 §. XXIV. Per obtentionem secundi residentiam  
 incompatibilem requirentis videtur vacare ipso ju-  
 re quodcumque beneficium præhabitum requirent  
 similem residentiam, uti colligitur ex *Trid. Ses. 7.*  
*c. 4.*, docentque *Az. Gutt. Gonz. Zech. Hojed.*  
*Garc. Castrop. Leur. q. 110.*, qui cum *Garc. Ca-*  
*strop. Luca d. 59. n. 2.* dicit ambo vacare ipso jure, si  
 præsumat utrumque simul ultra duos menses reti-  
 nere; imò sit inhabilis ad Ordines & beneficia per  
*Extrav. Execrabilis.* Vide *Leur. q. 124. & 128.* Pu-  
 tant tamen *Nav. Paris. Pias. Pirb.* & alii à *Trid.* nil  
 innovari, ideoque secundum antiquos Canones id  
 verum esse tantum de beneficiis curatis, dignitatibus,  
 personatibus; quoad alia autem simplicia, beneficia  
 tantum cogendum esse ad dimittendum alter-  
 utrum. Vide *Leur. q. 112. & 123.* Sufficit autem, si  
 dimittat cum effectu, licet non cum solennitate, sic  
 enim nunc receptum est per consuetudinem, *Zerol.*  
*Garc. Leur. q. 125.*

920 §. XXV. Duo curata in titulum sunt incompe-  
 tabilia ratione residentia, *Cap. De multa*, de præb.,  
*Extrav. Execrabilis, Trid. Ses. 7. c. 4.*, idem dicens,  
 si unum detur in titulum, alterum in commendam  
 perpetuam, de utrisque enim est par ratio, *Com.*  
*Mandos. Ricc. Tond. Az. Laym. Leur. q. 117.* Exci-  
 pe, si unum esset curatum pro foro interno, alte-  
 rum tantum pro externo, uti Archidiaconatus, *Barb.*  
*Lott.* contra *Abb. & Pirb.*; item si unum sit actu,  
 alterum habitu tantum, vel tantum accessorie cura-  
 tum; nam habitu, non dicitur simpliciter curatum,  
*Barb. de off. Parochi c. 2. n. 74.*, & quod accessorie  
 tantum est curatum, est absolute simplex. Vide *Leur.*  
 q. 116.

q. 116. & 130., qui q. 127. notat cum *Pirb.*, dicta de incompatibilitate beneficiorum Curatorum tenere etiam in pluribus dignitatibus & personatibus, licet Curam animarum non habeant, *Cap. Ad hac*, de *præb.*, & *Cap. Cum singula*, de *præb.* in 6.

§. XXVI. Duo beneficia uniformia, id est ejusdem rationis & nominis, etiam simplicia, sunt incompatibilia sub eodem testō, id est, in eadem Ecclesia, *Cap. De multa*, de *præb.*, *Cap. litteras*, de concess. *præb.*, *Clement. ult. de præb.*, Ratio est, quia minuitur cultus Divinus per paucitatem Ministrorum. Et tenet hoc, licet residentiam non requirant, *Az. Garc. Lop.*, Et quamvis neutrum sufficiat ad sustentationem, uti cum communi *Garc. & Leur.* q. 129. contra *Zerol.*, Item quamvis unum eorum esset annexum alteri difformi, v. g. Decanatus, *Abb. Cardin. Gom. Rebuff. Garc.*, dummodo sint annexa seu unita æquè principaliter, aut ad vitam obtinentis tantum, nam tum neutrum per unionem extinguitur, secundum dicta n. 280.; Et etiam si talis Decanatus esset in alia Ecclesia, *Nav. Garc.* Vide *Leur.* q. 130. Nec in hoc dispensare potest Episcopus, aut præscribere consuetudo, *Garc. Lambert. Pirb. Leur.* q. 131. Imò ad obtentionem secundi vacat ipso jure primum, *Cap. Litteras*, de concess. *præb.*, *Clement. ult. de præb.*, *Cap. I. de consuetud. in 6.*, *Abb. Az. Paris. Castrop. Rebuff. Lamb. Leur.* q. 132. Docent tamen *Nav. Mandos. Zerol. Zech. Gonz. Pirb.* l. 3. t. 5. n. 138. contra *Garc.* & alios, duas Capellanas in diversis altaribus esse compatibles, si non sint ad idem ministerium & corpus constituendum, & habeant diversa onera, tum enim videntur esse beneficia difformia, de quibus jam dicitur. Vide *Leur.* q. 133.

§. XXVII. Si beneficia sub eodem testō sint dif-  
 G g formia,

formia, uti est Decanatus & Canonicatus, docent *Inn. Mandos. Hojed.* & alii adhuc esse incompatibilia, quia Canones generatim prohibent haberi duo sub eodem tecto; admittunt tamen plerique unum ipso jure non vacare per admissionem alterius, sed tantum esse dimittendum: Nec in hoc dispensare posse Episcopum, docent plerique, quamvis aliqui dicant posse. Vide *Leur.* q. 135. E contra illa esse compatiblea docent *Abb. Nav. Felin. Lap. Rebuff. Paris. Gonz. Less.* in auct. v. *beneficium*, cal. 35. *Consentit Castrop.*, si sint simplicia, & singula insufficientia ad sustentationem, nec plura simul habeantur quam duo, quia communis opinio & praxis interpretatur Canones de beneficiis uniformibus, si enim sint difformia, non ita minuitur cultus Divinus vel officium utriusque beneficii, cui satisfacere potest unus. Vide *Luca* de benef. d. 57. à n. 3. Hinc docent etiam *Nav. Laym. Pirb.* Parochum posse in sua Ecclesia habere Capellaniam, quamvis in hoc contradicat *Garc.* ob declarationem S. Congreg., sed *Pirb.* dicit, vel non esse authenticam vel non esse in usu. Vide *Leur.* p. 2. q. 610. n. 1. & p. 3. q. 133. 134. 138. 141. Saltem alia duo difformia compatiblea esse, si talis sit consuetudo, docent plerique AA. utriusque sententiæ cum *Leur.* q. 136. & 137. Non tamen poterunt simul haberi aut validè conferri plura quam duo, uti habet communis contra *Nav. Bottaum & Zerolam.* Vide *Leur.* q. 139. & 140.

923

§. XXVIII. Beneficia sita in Capella, Claustro, Cœmiterio, ambitu contiguo Ecclesiæ, censentur esse sub eodem tecto, quia ista censentur esse pars Ecclesiæ, quâ pollutâ vel interdictâ, etiam ipsa censentur talia, Cap. un. *de consecr. Eccles.* in 6., Cap. *Si civitas*, de sent. excom. in 6. Vide *Leur.* q. 142.

924

§. XXIX. Quæ dicta sunt de incompatibilitate beney

beneficiorum, intelliguntur potissimum de secularibus; pleraque tamen etiam conveniunt regularibus, de quibus speciatim multa habet *Leur.* à q. 143. usque ad 149.

§. XXX. Beneficia omnia promoti in Episcopo- 925  
pum vacant ipso jure, *Cap. Cùm in cunctis. de Elect., Trid. Ses. 7. c. 9. Ses. 23. c. 2.* Quod ad pensiones extendunt *Barb. Castrop. Paris. Garc.* Vide *Leur.* q. 149. Et idem est de promoti ad Papatum, *Paris. Garc. Leur.* q. 150. Item de promoti ad Abbatiam, *Paris. & alii cum Leur.* q. 158. Idem tamen non est de Episcopo titulari in partibus infidelium, quia hic nunquam acquirit possessionem aut fructus, & consuetudo est non peti dispensationem, ( alioqui appositio manus Papalis causaret affectionem ) *Paris. Pirb. Luca d. 4. n. 9. Leur.* q. 151. contra *Rebuff. & alios.* Similiter non est idem de promoti ad Cardinalatum, nam potest retineri aut etiam conferri aliud beneficium, *Abb. Laym. Pirb. Leur.* q. 159.; debet tamen esse compatibile & conveniens dignitati Cardinalatus, uti statuit *Sixtus V.*, quem refert *Diana p. 5. t. 2. R. II.* Vide eundem R. 41.

§. XXXI. Conferri potest aliud beneficium Epi- 926  
scopo, 1. necdum confirmato, *Garc. p. II. c. 6. n. 47.*  
2. Confirmato, si Papa dispenset vel si necessitas sustentationis exigat, *Abb. Lamb. Rodrig. Less. Garc.* n. 44. Et posse tum etiam sine dispensatione conferri aliud simplex de se compatibile, uti etiam *Parocho,* tenent *Nav. Laym. Less. Pirb. Leur.* q. 152. contra *Castrop.* 3. Si Episcopatu renunciarit, *Nav. Garc. n. 45. contra Cardin.* 4. Si sit tantum titularis, *Nav. Garc. contra Bursatt.*; estque hic etiam sine dispensatione capax pensionis. Vide *Leur.* p. 2. q. 765. Quod si verus Episcopus admitteret dignitatem aliam, v. g. Abbatiam, non ideo vacaret



Episcopatus, tum quia Episcopatus in Canonibus odiosis non venit nomine dignitatis vel beneficii, tum etiam quia non potest deseri sine speciali licentia, *Abb. Rebuff. Coras. Laym. Garc. Pirb. Leur. p. 3. q. 154. contra Castrop.*

927 §. XXXII. Vacatio beneficiorum & pensionum Episcopi prærequirit confirmationem, possessionem & consecrationem; aut concurrente negligentia lapsum trimestris, nisi, uti nunc est stylus Curia, Papa exprimat vacare per confirmationem, *Garc. Castrop. Pirb.* Beneficia tamen illa promovendorum ad Episcopatum vel Prælaturam reservantur Papæ à puncto electionis, per Reg. Cancell. & Extrav. *Ad Regimen*, de præb. Vide *Leur. q. 155. & 156.* Quòd si per dispensationem prolongetur tempus sumendæ consecrationis, *Abb. Butr. Felin. Garc. Sanch.* dicunt etiam prolongari tempus inchoandæ vacationis; quod admittunt *I. Andr.* & alii, si dispensatio data sit motu proprio Papæ, sed probabilius est cum *Laym. & Leur. q. 157.* beneficia vacare elapsis tribus mensibus, quia hæc sunt ab invicem independentia, nec dispensatio in uno postulat dispensationem in altero.

928 §. XXXIII. Si Episcopus vel Prælatus transferatur ad aliam Ecclesiam, vacat prior ipso jure, *Cap. In apibus, 7. q. 1. Cap. Quanto*, de transl. Episc. Et ea vacatio inducitur eo tempore, quo in Consistorio absolvitur à priore Ecclesia, etiam ante expeditionem litterarum & possessionem, ne sit sponsus duarum & velut spiritualis adulter, *Barb. Engel.* Quòd si auctoritate suâ se transferat ad aliam Ecclesiam, privatur utrâque, saltem per sententiam, *Leur. q. 160.*

929 §. XXXIV. Si promotus vel translatus ad aliam Ecclesiam impediatur in capienda possessione suæ  
nova

novæ Ecclesiæ, potest sine nova collatione redire ad priorem, quia Papa volebat vacationem sub conditione habendæ alterius, arg. Cap. *Si beneficia*, de præb. in 6. *Castrop. Garc. Leur. q. 155. n. 3. & q. 160. n. 4.*

Q. 133. *Quid notandum sit circa vacationem per matrimonium, ingressum Religionis, militiam, captivitatem, absentiam. R. Seqq.*

§. I. Per matrimonium de futuro, five per sponsalia non amittitur beneficium, *Sanch. Castrop. Lott. Leur. p. 3. q. 44.*; talem tamen meritò privandum esse dicit *Less.*, sed meliùs contradicunt *Lott. & Garc. p. 11. c. 8. n. 19.*, quia nullibi imponitur ea pœna. E contrà per matrimonium de præsentibus vacant ipso jure absque sententia vel declaratione omnia beneficia in Ecclesia latina, Cap. 1. & 3. de *Clev. conjug.*, & cap. un. eodem tit. in 6. *Az. Sanch. Barb. Leur. q. 36. contra Carer. & Rodrig.*, Similiter cum matrimonio penitus emoritur, nec soluto matrimonio reviviscit jus ad beneficium, expectativa, accessus, regressus &c. *Sanch. Garc. Barb. Paris. Castrop. Lott. Leur. q. 38.* Quod tenet, etiam si uxor non consummato matrimonio ingrederetur Religionem aut moreretur, *Sanch. Garc. Barb. Castrop. Lott. Leur. q. 41.* Item perditur jus ad pensiones Ecclesiasticas, *Tusch. Barb. Paris. Castrop. Lott. Leur. q. 38.* Neque in his dispensare potest Episcopus, *Abb. Host. Az. Castrop. Lott. Leur. q. 42. & 48.* Dispensatio tamen habilisans ad beneficium non tollitur per matrimonium, *Sanch. Garc. Leur. q. 39.*

§. II. Si matrimonium sit invalidè contractum defectu consensûs in beneficiato, vel quia caruit libertate, vel quia vi aut injusto metu est coactus, non inducitur vacatio, quia nec assumpsit nec attentavit assumere matrimonium, *Sanch. Garc. Castrop. Leur.*